



Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

VI. De eo quod supra cap. proximo, & quod iudex poterit terminum abbreviare, infra quem nisi appellationem fuerit appellans prosecutus, tenet sententia contra eum lata: & quod raptor & alienae rei ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

ALEXANDER LATERANENSE III. FRIDERICVS I.
P. III. IMP. 561

ANNO CHRISTI
1179. ci super his, si ab alterutra parte adducti fuerint, in testi-
monium recipientur.

C A P. VI. *Idem H. Rhemensi archiepiscopo.*

Cum sit Romana ecclesia caput & magistra omnium eccliarum, disponente Domino, constituta, & ad eamdem consultationes & quæstiones de diuersis mundi partibus referantur, quod eam super variis quæstionibus consulis, gratulamur, & prudentiam tuam non immerito com-mendamus. Inde est quod fraternitati tuae taliter respon-dentes, præsenti scripto duximus respondendum : Si fru-stratoriaæ dilationis causa vel etiam necessario ante senten-tiam vel postea fuerit appellatum, huiusmodi appellatio-nibus annus indulgetur : aut si necessaria & euidens nece-sitas apparuerit, indulgetur biennium : nisi forte iudex, a quo appellatum fuerit, secundum locorum & prouincia-rum distantiam & qualitatem temporis, recisius tempus fuerit moderatus, infra quod siis qui appellauerit, causam appellationis non fuerit prosecutus, sententia tenebit, si post sententiam appellauerit; & a causa sua cecidisse vide-tur : nec amplius super eodem negotio audietur appellans. Si vero a grauamine & ante litis ingressum fuerit appella-tum, huiusmodi audietur appellans, quoniam sacri Cano-nes passim appellare permittunt. Si vero ante sententiam appellauit, cogetur illius stare iudicio, ad quem noscitur appellasse. Si autem in agro vel alias ante causæ ingressum fuerit appellatum, non solent dici huiusmodi appellatio-nes, sed ad causam prouocationes. Præterea si raptor sit vel alias violentus detentor alienæ reiis qui appellat, huius-modi appellatio in iudicio facta apud ecclesiasticas per-sonas solet audiri, nisi manifestissimus raptor vel forni-ca-tor existat, sicut ille, quem absentem & non requisitum^{1. Cor. 5.} Apostolus excommunicavit.

Frustrato-
riam tene-
re appella-
tionem.

C A P. VII. *Idem eidem in eadem epistola.*

Si duobus coram non suo iudice litigantibus, alter ad nostram, alter ad sui iudicis audientiam appellauerit, & ille qui ad suum iudicem appellauerit, ad diem appella-tionis veniens, appellasse se ad eum proponit, eo tacito, quod aduersarius eius ad audientiam Romani pontificis

Concil. Tom. 27.

B b b b